LECHNER
SOLLEMNIA ANNIVERSARIA
IN GYMNASIO REGIO...



SOLLEMNIA ANNIVERSARIA

IN

GYMNASIO REGIO CURIENSI

D. VIII. M. AUGUSTI A. MDCCCLXVII.

RITE CELEBRANDA

COLLEGARUM NOMINE

INDICIT

MAXIMILIANUS LECHNER

GYMNASII PROFESSOR.

INEST COMMENTATIO

DE ARTE AESCHYLI RHETORICA.

CURIAE REGNITIANAE.

TYPIS MINTZELIANIS CAR. HOERMANNI.

A. MDCCCLXVII.

De arte Aeschyli rhetorica.

Artificiosam eloquentiam, quam rhetorici illi doctores profitebantur, ubi primum florere coepit in Graecia, per omnes deinceps litterarum partes constat manasse. Atque in tragoedias transtulisse primus eam dicitur Euripides (v. Bernhardy Litt. graec. hist. den. ed. t. II, 2 p. 371 sq.). Quo tamen in genere jam Sophoclem esse quodammodo eandem rationem secutum cum ostendere posse mihi viderer, comparare illos inter se et quantum utriusque poesis contineretur rhetorum vi et artificio anquirere animum induxi. Ac ne Aeschylum quidem adeo vidi caruisse studio eloquentiae, ut non oratoriam quandam artem in tragoediis adhiberet, si minus magistrorum, qui rhetorici vocantur, doctrina eruditus, quamquam illorum antiquissimi Coracis praecepta nosse eum arbitror, at sui ingenii sollertia inductus. Quod quoniam ita fecit, ut quasi viam muniret ceteris poetis tragicis, antequam rhetoricae usum Sophocleum et Euripideum subtiliter persequerer, artem Aeschyli rhetoricam, quoad ejus fieri posset, illustrandam putavi eamque disputationem duas in partes divisi, quarum una est, quae ducitur ab inventione, altera, quae ad elocutionem pertinet.

Inventio rhetorica, quam esse poetae tragici statuo, iis tragoediarum locis maxime cernitur, ubi homines quibus rationibus adducti fecerint aliquid aut facturi sint exponunt. Nam cum efficit poeta, ut probabilem reddere suam quisque causam, adversariorum infirmare ac diluere nobis videatur, similitudo exsistit generis judicialis, in quo maxime versari rhetoris officium veteres putabant. Et antiquissimae quidem earum, quae integrae exstant, Aeschyli fabularum absunt ejusmodi loci, quod non mirabimur, si illum tum, cum Persas ad scenam composuit, exiguis quibusdam finibus terminasse artis suae modum reputabimus; cf. Teuffel. ed. Pers. p. 8, num. 7. Neque inveneris eam similitudinem in Prometheo vincto, quam tragoediam non ut Schoemannus antiquiorem Persis, at certe proximam existimo. Sed in Septem adversus Thebas habes extrema parte vv. 989—1038 *)

*) Hermanni versus sunt et ordo fragmentorum.

de humano jure et divino disceptantes inter se praeconem et Antigonam, ut profecisse aliquid in oratoria arte poetam appareat. Supplices autem controversiam continent, quae est inter Aegyptiorum praeconem et Argivorum regem vv. 876—932. Jam vero in Orestia longius progressum videmus Aeschylum. Multa enim rhetoricae inventionis vestigia impressa sunt Clytaemnestrae orationibus (Agam. vv. 1332—1544), quae tantum argutiarum habent, ut paene in sophistarum scholis excogitatae esse videantur (cf. O. Mueller. ed. Eumenid. p. 193. Keck. ed. Agam. p. 42), atque Aegisthi (vv. 1545—1623), de quo audias Keck. p. 43: „*Je feiger er ist, wo es auf die That ankommt, desto behender und sophistischer ist er als Zungenfechter: sein ganzes Auftreten ist das eines gewandten Advokaten, der eine Prozessrede hält und darin alles zu seinem Vortheil darzustellen weiss*"; eandemque artem Choephori exhibent illo loco, quo Orestes ultor matris rem suam defendit, Clytaemnestra crimen purgare nititur, ut in contrarias distrahamur partes. Ecce autem in ipsum judicium est causa deducta in Eumenidibus, cum accusatoris partes obtinent Furiae, Orestes causam dicit eique Apollo adest. Qua in fabula quam late pateat ars inveniendi, cum re ipsa apparet tum ex eo cognoscitur, quod dicendi artifices et doctores inde repetere solebant exempla, v. Cornif. Rhet. ad Her. I, 16, 26. Cic. de inv. I, 13, 18. Quint. inst. or. III, 11, 4. Atque etiam in Danaidibus exercebatur judicium; Hypermnestram enim, quod officii ac promissi immemor Lynceo pepercerat, pater ream fecit, patrona ei causae Venus exstitit. Maximo ibi dicendi artificio Danaus probasse judicibus Argivis crimen filiae, at vero dea non minus artificiose vi sua ac natura, qua tenuisset virginem, explicata (cui rei testimonio est fr. 45) ut eandem absolverent videtur effecisse, v. Welck. Tril. p. 394 sqq. Kruse ed. Suppl. p. 19 sqq. Quid? illa vis orationis et facultas quae tandem fuit, qua Ulixem instruxit Aeschylus, cum *Ὅπλων κρίσιν* fabulam doceret et Aiacem faceret succumbentem homini argutissimo (v. Welck. Tril. p. 438), unde provenit rhetorum scholis materia declamationum vel maxime tractata (v. Schneidewin. in Soph. Ai. V. ed. Nauck. p. 44)?

Cognitis igitur iis tragoediarum partibus, quas referre licet ad generis judicialis similitudinem, alii restant loci, in quibus et ipsis valet inventio rhetorica. Illi potissimum sunt, ubi personae persuadere student aliis vel persuadent, ut faciant aliquid aut ne quid faciant. Velut in Prometheo vincto Mercurius prodit a Jove frustra ille quidem missus, ut commoveret Prometheum atrociter recusantem vv. 948—1057, et in Eumenidum fabula Minerva commutat Furiarum animos vv. 783—902, quod ipsa dicit sibi contigisse auxilio atque opera Suadelae 955 sqq.: *στέργω δ' ὄμματα Πειθοῦς, ὅτι μοι γλῶσσαν καὶ στόμ' ἐπωπᾷ πρὸς τάσδ' ἀγρίως ἀπανηναμένας·* et addit: *ἀλλ' ἐκράτησεν Ζεὺς ἀγοραῖος.* Cujus generis mitto locos in tragoediis frequentes: unum illud dico exemplum nobilissimum, quod positum erat in Patrocli oratione, cujus fragmenta habemus minuta 279 et 281 et, id quod Hermannus ei vindicavit, 282; etenim in fabula, quae nomen traxit a Phrygibus, senex, cum corpus Hectoris ad humandum redemturus Achillem adiisset, oratione flexit ac fregit illius mentem, v. Welck. Tril. p. 425 sqq. Cumque vario in genere versetur omnis dicendi ars, respiciendae etiam sunt lamentationes et narrationes et similes alii loci.

Quod si quaeritur, quibus artibus ac modis contineatur Aeschyli inventio rhetorica, non esse poetae legem quandam certam et definitam apparet, ad quam singula possint revocari. Nec tamen praetermittendum putabam, cum illud quidem videretur fieri posse neque alienum esse a re, quin quomodo animi affectibus usus esset exponere conarer. Duo sunt eorum genera (v. Cic. Or. 37, 128), alterum, quod Graeci ἠθικόν vocabant, de quo egregie nuper C. L. Rothius disputavit in Nov. annal. philol. Fleckeisen. t. XCIII. p. 855—860 (cf. Spengel. in Aristot. Rhet. ed. Lips. a. 1867. t. II. p. 246), alterum quod παθητικόν nominabant. Ac videtur utrumque Aeschylus adhibuisse. Ut ἦθος opinor summum fuisse in Veneris verbis, quibus Argivos commovit ad liberandam judicio Hypermnestram; dea enim, cum redarguere non posset orationem Danai, deduxit animos a crimine et ad numen suum traduxit, ut judices, qui et ipsi jam amoris vim experti essent, verba deae suis mentibus respondere sentirent. Cf. quae Spengelius dicit, cum enarrat eo, quem attuli, loco Aristotelis verba: „Ipsorum auditorum indolem oratorem perspectam cognitamque tenere necesse est, quo facilius oratione accommodata ad illorum animos viam sibi muniat.“ Priamique item puto viguisse admirabile quoddam ἦθος in ea, quam supra dixi oratione, quippe qua, cum Achillem admonebat Pelei patris et communis rerum humanarum condicionis, perficeret, ut ille pietatem, quam ipse erga patrem conservaret, aequalem esse cognosceret Priami senis in filium pietati. Cf. Aristot. Rhet. I, 8; II, 13 fin. *Πάθος* autem habet Clytaemnestrae illud in Choeph. vv. 884 sqq., quam cum aggreditur ferro Orestes poenas patris trucidati persecuturus, jubet filium vereri mammam, cujus sit lacte nutritus:

ἐπίσχες, ὦ παῖ, τόνδε δ᾽ αἴδεσαι, τέκνον,
μαστόν, πρὸς ᾧ σὺ πολλὰ δὴ βρίζων ἅμα
οὔλοισιν ἐξήμελξας εὐτρεφὲς γάλα·

quo fit, ut peragere quod sibi proposuit dubitet ille, quare consulit familiarem suum: *Πυλάδη, τί δράσω; μητέρ᾽ αἰδεσθῶ κτανεῖν;* Ex quo genere est etiam illud, quod Danai filias Pelasgo, cum haesitet precibus frustra fatigatus, dicentes Suppl. v. 448 audimus; profitentur enim, nisi praesidio sibi fuerit ille contra Aegypti filios, fore, ut suspendant se de simulacris deorum, quo adeo percutiunt regis animum (*ἤκουσα,* inquit v. 449, *δακνιστῆρα καρδίας λόγον*), ut Aegyptiorum bello non amplius detrectato virgines in fidem suam accipiat.

Nunc, quoniam inventionem percurri, dicendum accuratius est de elocutione. Quae disputatio et ipsa bipertita est: primum, quibus in generibus versetur elocutio, deinde, quae sit ejus dignitas, explicetur. Ac genera quidem orationis ad varios hominum et ordines et mores aliqua ex parte ab Aeschylo esse accommodata, nostratium poetarum sagacissimus ille Lessingius perspexit, qui quondam scripsit haec (edita a Fuellebornio in Lessingii Vit. t. III. p. 251 „*Philologischer Nachlass*“, repetita in Operum omnium ed. Lachm. t. XI. p. 691): „*Ich habe den Agamemnon des Aeschylus gelesen und folgende Anmerkungen darüber gemacht: . . So einförmig der Ausdruck des Aeschylus ist, und so wenig*

sich die Personen bei ihm durch die Art zu sprechen unterscheiden: so braucht er doch oft auch hierin kleine Unterschiede und Nuancen, durch die er die Rede einer geringern Person bezeichnet. Der Wächter z. E. braucht Sprichwörter, die sich schwerlich in einen andern Mund schicken dürften. v. 33.., v. 36.. — Der Charakter der Klytämnestra ist darin vortrefflich gezeichnet, dass durch ihre gefälligsten Reden und durch die grössten Schmeicheleien, die sie dem Agamemnon macht, ihre Falschheit durchscheinet. Das Gesuchte, das Uebertriebene, das Schwatzhafte, zeigt genugsam, dass sie nicht aus dem Herzen spricht. Er lässt sie bis ins Komische fallen. Z. E. v. 900 (858 sqq. H.)." Vereor tamen, ne parum sit, quod ea scripsit. Habes enim, ut ab ordinibus hominum exordiar, praeter excubitorem, quem attulit, in eadem tragoedia praeconem, in Choephoris nutricem, in Persis nuntium, quos omnes poeta volgari quodam genere orationis a ceteris plane ac perspicue distinxit. Et diligenter de ea re disseruit Ferd. Bamberger in comment. de Aesch. Agamemnone Brunsvig. a. 1835. ed. p. 21—25. („De excubitoris et praeconis personis"), ubi illius generis persequendi aliquot rationes proposuit; cf. Bernhardy Synt. anom. p. 20, Schneidewin. in Agam. p. XXXV. Quarum unam bene jam docuit Lessingius, cum ad proverbia consuetudine volgi trita animum attenderet. Nam sicut vigil, quem excubantem videmus in tecto domus Atridarum, habet illa *τρὶς ἓξ βαλούσης τῆσδέ μοι φρυκτωρίας* 33 (adde quod antecedit *τὰ δεσποτῶν γὰρ εὖ πεσόντα θήσομαι*) et *βοῦς ἐπὶ γλώσσῃ μέγας βέβηκεν* 36, ita praeco *Τύχη δὲ σωτὴρ ναῦν θέλουσ᾽ ἐφέζετο* 642. Finitimae sunt his tralationes „ex communi vita desumtae et nescio quid ludicri prae se ferentes" (Bamb.). In hoc genere excubitor dicit *ἄστρων κάτοιδα νυκτέρων ὁμήγυριν καὶ τοὺς.. λαμπροὺς δυνάστας ἐμπρέποντας αἰθέρι ἀστέρας* 4 sqq., *φόβος.. ἀνθ᾽ ὕπνου παραστατεῖ* 14, *ὕπνου τόδ᾽ ἀντίμολπον ἐντέμνων ἄκος* 17; praeco *πολλῶν ῥαγεισῶν ἐλπίδων* 483, *Τροίαν κατασκάψαντα τοῦ δικηφόρου Διὸς μακέλλῃ, τῇ κατείργασται πέδον* 503 sq., *τοιόνδε Τροίᾳ περιβαλὼν ζευκτήριον* 507, *εὖτε πόντος ἐν μεσημβριναῖς κοίταις ἀκύμων νηνέμοις εὕδοι πεσών* („*der Herold lässt auch das Meer sein Mittagsschläfchen halten*" Schneidewin.) 543 sq., *τί τοὺς ἀναλωθέντας ἐν ψήφῳ λέγειν.. χρή*; 548, *ὑπὲρ θαλάσσης καὶ χθονὸς ποτωμένοις* 554, *ξυνώμοσαν.. πῦρ καὶ θάλασσα καὶ τὰ πίστ᾽ ἐδειξάτην* 628 sq., *αἳ δὲ (νῆες) κεροτυπούμεναι βίᾳ χειμῶνι τυφῷ σὺν ζάλῃ τ᾽ ὀμβροκτύπῳ, ᾤχοντ᾽ ἄφαντοι, ποιμένος κακοῦ στρόβῳ* (sic recte libri) 633 sqq., *ἡμᾶς γε μὲν δὴ ναῦν τ᾽ ἀκήρατον σκάφος ἤτοι τις ἐξέκλεψεν ἢ ᾽ξῃτήσατο θεός τις* („*in barocker Weise*" Schneidewin.) 639 sqq., *ἐβουκολοῦμεν φροντίσιν νέον πάθος* 647. Saepe etiam facetiis et ironiae quodam genere student condire sermonem suum; ut praeco, cum salutaverit eum chorus 516 *κῆρυξ Ἀχαιῶν χαῖρε τῶν ἀπὸ στρατοῦ*, respondet: *χαίρω γε· τεθνάναι δ᾽ οὐκέτ᾽ ἀντερῶ θεοῖς* („*indem er dem zur Begrüssungsformel abgeschliffenen χαῖρε witzig vollen Sinn unterlegt*" Schneidewin.); ut illa nuntii, qui prodit in Persis: *πληγῇ δορὸς πήδημα κοῦφον ἐκ νεὼς ἀφήλατο* („*mit bitterem Volkshumor*" Teuffelius) 299 sq., *νῆσον Αἴαντος πολεῖ* (de Persarum quodam, qui occisus fertur undis circum Salamina) 302, *οἵδ᾽ ἀμφὶ νῆσον τὴν πελειοθρέμμονα νικώμενοι κύρισσον ἰσχυρὰν χθόνα* (item

de Persarum interfectorum corporibus illic nantibus, „*ähnliche Tonfärbung*" Teuffelius) 304 sq., *σκληρᾶς μέτοικος γῆς ἐκεῖ κατέφθιτο* 314, quibuscum conferas quod praeco cum acerbitate dicit Ag. 637 *ὁρῶμεν ἀνθοῦν πέλαγος Αἰγαῖον νεκροῖς*. Festivitatis etiam studium est, cum oxymoris utuntur et excubitor 2 *φρουρᾶς.. ἣν κοιμώμενος*, 11 *γυναικὸς ἀνδρόβουλον.. κέαρ*, 12 *νυκτίπλαγκτον.. εὐνήν*, 21 *ὀρφναίου πυρός*, 22 *λαμπτὴρ νυκτὸς ἡμερήσιον φάος πιφαύσκων* et praeco 500 *φῶς ἐν εὐφρόνῃ*, 525 *πόθεν τὸ δύσφρον τοῦτ' ἐπῆν στύγος φρενῶν*; 623 *παιᾶνα τόνδ' Ἐρινύων*, ubi *θρῆνον* potius exspectaveris. Jam illud quidem perspicuum est, Aeschylum, ut in ejusmodi personis ad veritatem vitae aliquatenus accederet, adhibuisse nonnunquam orationem inconcinnam atque impeditam. An fortuito factum putas, ut enuntiata, quae non congruunt inter se, excubitori daret Ag. 7 (*ἀστέρας, ὅταν φθίνωσιν, ἀντολάς τε τῶν*) et nutrici Ch. 724 sqq., anacolutha illi Ag. 12 sqq., praeconi 533 sqq. („apodosis deest, quae referatur ad *εἰ λέγοιμι*, ut in sermone familiari" Herm.), 541 sqq. („*die Rede ist kraus und eckig gebaut*" Schneidewin.), nutrici Ch. 736 sqq.? Cf. Bamberger. p. 23 sqq. et Hartzii dissert. de anacoluthis apud Aesch. et Soph. ed. Berol. a. 1856. p. 34. Accedunt voces enuntiatis interjectae, ut nutricem audis Ch. 740 sq. *τὸ μὴ φρονοῦν γὰρ ὡσπερεὶ βοτὸν τρέφειν ἀνάγκη, πῶς γὰρ οὔ; τρόπῳ φρενός*, 745 sq. *τούτων πρόμαντις οὖσα, πολλὰ δ', οἴομαι, ψευσθεῖσα*, et illa vigilis exclamatio Ag. 22 *ἰοῦ, ἰοῦ* („*Ausruf der Freude, der Tragödie fremd, hier passend dem Wächter in den Mund gelegt, der unwillkürlich in den in der gewöhnlichen Umgangssprache üblichen Freudenruf ausbricht*" Rob. Enger.) Quid dicam de oratione ultra quam oportet fusa? quae cum sit fere hominum humilioris condicionis, diligenter eandem poeta in sermonibus ac moribus illorum describendis consectatur. Hinc sententiae nascuntur, quarum amantissimus praeco est (531 sq. 548 sq. 598 sq. 614—625), hinc pleonasmi excubitoris 1 sq. *τῶνδ' ἀπαλλαγὴν πόνων, φρουρᾶς ἐτείας μῆκος* („*dem unbestimmten τῶνδε schickt der Wächter die nähere Erklärung nach, wie er in volksmässiger Art seine Ausdrücke gern des Breitern erläutert, vgl.* 7. 9. 10" Schneidewin.), 39 *μαθοῦσιν αὐδῶ, κοὐ μαθοῦσι λήθομαι*, hinc repetita a praecone vocabula 487. 491 *ὁ Πύθιός τ' ἄναξ — ἄναξ Ἄπολλον*, 616. 618 *ὅταν δ' ἀπευκτὰ πήματ' ἄγγελος πόλει.. φέρῃ, πόλει μὲν ἕλκος ἓν τὸ δήμιον τυχεῖν*, 640 sq. *ἤτοι τις ἐξέκλεψεν ἢ 'ξῃτήσατο θεός τις* („*mit neuem Anlauf*" Schneidewin.); et quantam verborum copiam idem 633 sqq. consumit in illustranda vi tempestatis, quae Graecorum naves afflixit! Nobilissimum autem hujus loquacitatis exemplum exstat nutrix Orestis, quam cum audimus, cui non in mentem venit illius nutricis, quam summus Britannorum poeta ad naturam mirifice expressam adjunxit virgini Juliae? Satis multum, opinor, distat id genus, quoad legibus tragoediae convenit, ab heroum ac deorum elocutione, in qua *ὄγκος* ille Aeschyleus inest a Sophocle, ut fert Plutarchus de prof. in virt. 7, p. 79 B., commemoratus.

Age vero, quanto magis ab orationis subtilitate, qua Agamemnonis moderationem adumbrat Aeschylus, inflatum illud genus dicendi distat moribus Clytaemnestrae consentaneum! De quo Lessingium audivimus; cf. Keck. p. 34: „*Jetzt tritt Klytämnestra zum*

Empfang ihres Gemahls hervor, und wunderbar hebt sich in ihrer langen Rede die masslos übertreibende Rhetorik, die .. ihre Bosheit ahnen lässt, gegen den schlichten und gemessenen Ton ihres Gatten ab.“ Continet igitur id genus veritatis superlationem atque trajectionem, qualis est rumorum, quos dicit illa de Agamemnone sibi allatos 833 sqq.:

καὶ τραυμάτων μὲν εἰ τόσων ἐτύγχανεν
ἀνὴρ ὅδ', ὡς πρὸς οἶκον ὠχετεύετο
φάτις, τέτρωται δικτύου πλέω λέγειν.
εἰ δ' ἦν τεθνηκώς, ὡς ἐπλήθυον λόγοι,
τρισώματός τἂν Γηρυὼν ὁ δεύτερος
πολλὴν ἄνωθεν, τὴν κάτω γὰρ οὐ λέγω,
χθονὸς τρίμοιρον χλαῖναν ἐξηύχει λαβών,
ἅπαξ ἑκάστῳ κατθανὼν μορφώματι,

et angorum, quibus adeo se esse confectam affirmat, ut lacrimas amplius ex oculis exsiccatis atque aridis profundere non posset 854 sqq. atque etiam susurro culicis suscitari a somno solita esset 858 sqq., quem locum bene notavit Lessingius, itemque terroris, quo commotam se narrat suspensuram sese fuisse, nisi alii laqueos, quibus saepe jam cervices suas implicuisset, solvissent 841 sqq. Est etiam proprius ejus generis immodicus verborum tumor, ut stragulae vestis purpureae copia exsultans 925 sqq. alloquitur Agamemnonem:

ἔστιν θάλασσα, τίς δέ νιν κατασβέσει;
τρέφουσα πολλῆς πορφύρας ἰσάργυρον
κηκῖδα παγκαίνιστον, εἱμάτων βαφάς.
οἶκος δ' ὑπάρχει τῶνδε σὺν θεοῖς, ἄναξ,
ἔχειν· πένεσθαι δ' οὐκ ἐπίσταται δόμος

atque ancipiti voto Jovem precatur 940 sq.:

Ζεῦ, Ζεῦ τέλειε, τὰς ἐμὰς εὐχὰς τέλει·
μέλοι δέ τοι σοὶ τῶνπερ ἂν μέλλῃς τελεῖν.

Quid de nimia imaginum copia dicam? quam cum effundit mulier perfida maritum reducem salutans 862 sqq.:

νῦν, ταῦτα πάντα τλᾶσ', ἀπενθήτῳ φρενὶ
λέγοιμ' ἂν ἄνδρα τόνδε βουστάθμων κύνα,
σωτῆρα ναὸς πρότονον, ὑψηλῆς στέγης
στῦλον ποδήρη, μονογενὲς τέκνον πατρί,
ὁδοιπόρῳ διψῶντι πηγαῖον ῥέος,
γαληνὸν ἦμαρ εἰσιδεῖν ἐκ χείματος,
καὶ γῆν φανεῖσαν ναυτίλοις παρ' ἐλπίδα,

ipsa simulationem nobis declarat; eademque abundantia postea 933 sqq. usa animos nostros fuco offendit:

ῥίζης γὰρ οὔσης φυλλὰς ἵκετ' ἐς δόμους,
σκιὰν ὑπερτείνασα σειρίου κυνός.

καὶ σοῦ μολόντος δωματῖτιν ἑστίαν,
θάλπος μὲν ἐν χειμῶνι σημαίνεις μολόν·
ὅταν δὲ τεύχῃ Ζεὺς ἀπ᾽ ὄμφακος πικρᾶς
οἶνον, τότ᾽ ἤδη ψῦχος ἐν δόμοις πέλει,
ἀνδρὸς τελείου δῶμ᾽ ἐπιστρωφωμένου,

quibus quae comparari solent ex Arabicis conversa a Goethio: „*Sonnenhitze war er am kalten Tag, und brannte der Sirius, war er Schatten und Kühlung*“, quamvis sint admodum ornata, non tamen aeque abundanter sunt dicta. Neque abest inflatum illud genus ab Aegisthi verbis; ut turget ejus oratio, cum prodit in Choephoris aegre dissimulans laetitiam, quam percepit ex Orestis morte nuntiata, 824. 827 sqq.:

ἥκω μὲν οὐκ ἄκλητος, ἀλλ᾽ ὑπάγγελος·
καὶ τόδ᾽ ἀμφέρειν δόμοις.
γένοιτ᾽ ἂν ἄχθος δειματοσταγὲς φόνῳ
τῷ πρόσθεν ἑλκαίνουσι καὶ δεδηγμένοις.
πῶς ταῦτ᾽ ἀληθῆ καὶ βλέποντα δοξάσω;

Et quoniam ex illis exemplis cognovimus, quomodo mores oratione expresserit Aeschylus, ne haec quidem praetermittenda sunt ejusmodi artis vestigia, quae in tragoediarum deperditarum fragmentis exstant. Supersunt enim pauca de iis, quae Boreas loquebatur in Orithyia fabula (fr. 303):

καὶ καμίνου σχῶσι μάκιστον σέλας.
εἰ γάρ τιν᾽ ἑστιοῦχον ὄψομαι μόνον,
μίαν παρείρας πλεκτάνην χειμάρροον
στέγην πυρώσω καὶ κατανθρακώσομαι.
νῦν δ᾽ οὐ κέκραγά πω τὸ γενναῖον μέλος.

Quae qui servavit, sive Longinus is fuit sive Dionysius, in libro *περὶ ὕψους* 3, 1, reprehendit ille quidem poetam: „*οὐ τραγικὰ ἔτι ταῦτα, ἀλλὰ παρατράγῳδα, αἱ πλεκτάναι καὶ τὸ πρὸς οὐρανὸν ἐξεμεῖν καὶ τὸ τὸν Βορέαν αὐλητὴν ποιεῖν καὶ τὰ ἄλλα ἑξῆς. τεθόλωται γὰρ τῇ φράσει καὶ τεθορύβηται ταῖς φαντασίαις μᾶλλον ἢ δεδείνωται, κἂν ἕκαστον αὐτῶν πρὸς αὐγὰς ἀνασκοπῇς, ἐκ τοῦ φοβεροῦ κατ᾽ ὀλίγον ὑπονοστεῖ πρὸς τὸ εὐκαταφρόνητον*“, cf. Joannis Siceliotae schol. ad Hermogenem VI, 210 (Walz. Rhet. graec. vol. VI. p. 225). At recte judicat ea Welcker. Tril. p. 565: „*Den Longinus* (? v. Spengel. Rhet. graec. vol. I. praef. p. XV) *hat eine kritische Pedanterei beschlichen, dass er hierin untragischen, niederen Ausdruck tadelt. ..Es ist eben als ob man dem Meister der acht Winde an dem bekannten Athenischen Fries vorwerfen wollte, dass er nicht seinen Boreas schön gleich einem Achilles, oder wenigstens dem zierlicheren Boreas der Vasenzeichnungen ähnlich gebildet habe, welche später sind. Der Monolog des Boreas erforderte nothwendig ungezwungene Derbheit, eine naive Ungeschlachtheit.*“ Licet igitur suspicari, in aliis quoque, quae interierunt, tragoediis Aeschylum haud raro oratione quasi effinxisse personarum mores.

Hactenus mihi videor de generibus elocutionis quid sentirem potuisse dicere; restat, ut de dignitate dicendum sit. Atque alienum quidem est explanare, quomodo omnino Aeschylus orationem ornaverit; sunt enim omnium poetarum similitudines et verborum immutationes et quae dicuntur orationis quasi formae ac lumina, quae vocabant Graeci *σχήματα,* Romani plerumque figuras. Illud autem consideremus, Aeschylum in iis frequentem esse dicendi ornamentis, quae oratoris maxime putanda sunt. Quae cum habeant locum in illis potissimum fabularum partibus, quibus certam inventionem rhetoricam supra monui, elocutionem a poeta accommodatam esse ad illam videmus.

Id genus cum multa praeclara ejus tum quod ironiam, qua Homerus raro usus est et lyrici poetae, late fudit per tragoedias. Velut inest ea in verbis, quae facit praeco Aegyptius Suppl. 874 sq. ac Pelasgus rex 919 sq., in altercatione, qua Mercurius et Prometheus inter se occurrunt, Pr. 972 sq. 976 sq. 989, in Danai apud judices oratione fr. 44. Insignes autem prae ceteris eo genere ironiae, quod σαρκασμὸν rhetores nominabant, sunt orationes Clytaemnestrae et Aegisthi, quas supra p. 4 attigi; v. Ag. 1345 sqq. 1407 sqq. 1522 sqq. 1599 sqq. Et solus ex poetis tragicis pluralem numerum nominis proprii Aeschylus ea vi usurpavit, ut σαρκασμὸς ei inesset, cum Clytaemnestram fecit ibidem de marito suo, quem ipsa trucidavit, loquentem 1400 sq.:

κεῖται γυναικὸς τῆσδε λυμαντήριος
Χρυσηΐδων μείλιγμα τῶν ὑπ' Ἰλίῳ,

de quo numero plurali Bernhardy Synt. linguae graec. p. 61: *„welcher .. weniger der edlen Poesie als der komischen Sprache und den Sophisten angemessen ist.“* Cumque de Oreste supra dixi ultore matris, est etiam notabilis ejus σαρκασμὸς Ch. 882 sq., ubi, cum Clytaemnestra, supplicium ab illo de Aegistho esse sumptum certior facta, exclamaverit

οἲ 'γώ· τέθνηκας, φίλτατ' Αἰγίσθου βία,

summa cum acerbitate dicit haec:

φιλεῖς τὸν ἄνδρα; τοιγὰρ ἐν ταὐτῷ τάφῳ
κείσει. θανόντα δ' οὔτι μὴ προδῷς ποτε.

Finitima ironiae est ars quaedam, quae in disceptationibus saepe celebratur, cum alterius personae singula quaepiam verba altera persona arripit et cum irrisione vel contumacia adhibet ad respondendum; cujus artis praestantissimum exemplum habes Sept. 1026—1031:

Praeco.
αὐδῶ πόλιν σε μὴ βιάζεσθαι τάδε.
Antigona.
αὐδῶ σε μὴ περισσὰ κηρύσσειν ἐμοί.
Praeco.
τραχύς γε μέντοι δῆμος ἐκφυγὼν κακά.
Antigona.
τράχυν'· ἄθαπτος δ' οὗτος οὐ γενήσεται.

Praeco.

ἀλλ' ὃν πόλις στυγεῖ, σὺ τιμήσεις τάφῳ;

Antigona.

ἤδη τὰ τοῦδ' οὐ διαστετίμηται θεοῖς.

Alia, quae ex eodem genere sunt, inveneris in disceptationibus Furiarum Apollinisque Eum. 201 sq. 226 sq. 719 cf. 721 et multis ceterarum tragoediarum locis, praeterquam quod Persis cum omne ironiae genus tum haec dicendi ratio deest.

Expromsit etiam saepe Aeschylus quae dicuntur *ἀντίθετα*, quale est, ut Orestem iterum audiamus, illud, quo matrem is compellat Ch. 894 sq.

τούτῳ θανοῦσα συγκάθευδ', ἐπεὶ φιλεῖς
τὸν ἄνδρα τοῦτον, ὃν δ' ἐχρῆν φιλεῖν στυγεῖς.

Ac, ne plura complectar — omnis enim sermonis Aeschylei ornatus alio loco et ad aliud institutum, si facultas erit, explicabitur —, viget omnino quod scriptum est in schol. vet. ad. Sept. 405: „*πάνυ ῥητορικὸς ὁ Αἰσχύλος.*“

Habetis quaestionis de Sophocle et Euripide propositae *προοίμιον*. Ex quo intellegi posse arbitror, jam Aeschylum aliqua ex parte se applicavisse ad artem rhetoricam. Quod cum fecit, secutus est ejus aetatis, qua vixit, dicendi rationem et voluntatem. Quamquam enim nondum erat perfecta et quasi adulta eloquentia, incensae tamen ejus studio fuerunt Athenae et jam diu excelluerunt in ea; ut vixit illis temporibus Pericles vir ea laude clarissimus et Sophilus, qui filium suum Antiphontem artificiosam eloquentiam docuit. Cum igitur Aeschylus civium suorum studia amplecteretur et quantum valeret oratoria ars perspexisset, sollerti animo traduxit et convertit eam in tragoedias conformandas ac perpoliendas.